

Hermann Schuckmann

**Programma Quo Ad primitias Spiritus Sancti pie agnoscendas, ipsiq[ue]
reddendas invitat Cives Academicos**

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734822871>

Druck Freier  Zugang



RU. Progr. 1647

- 1) Hermann Schückmann
- 2) Joachim Lütke mann
- 3) -
- 4) Hermann Schückmann
- 5) Johannes Aüistorp

4
44

PROGRAMMA
Quo
Ad primitias
SPIRITUS SANCTI
piè agnoscendas, ipsiq; red-
dendas

invitat Cives Academicos
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HERMANNUS SCHUCKMAN,
Theol. D. & Professor.

Publicè propositum in festo Pentecostes
die 6. Junij Anni 1647.

Sub sigillo Academiæ.



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogri



Omnium est Ecclesiæ Christi sub novo Testamento, cum eâ, quæ erat sub veteri conclusa, quæ utraq; & hæc & illa, tamen cum discrimine evidenti, Pascha & Pentecosten, hoc est, quinquagesimum à Paschate diem, sacrum Domino & festum agit. Olim iussi à Deo Israelitæ, mactabant circa æquinoctium vernum, die mensis primuli, alias Nisan (qui ob id caput mensium factus est, & Martio nostro respondet) quartâ & decimâ, suum Pascha: & inde porro, ex quo falcem primum in messem miserant (eo tempore enim maturescunt, ac demetuntur fruges terræ Canaan; quod tunc vertici illorum, qui Palestinam incolunt, ceu æquatori viciniorum, tam propinquus fermè Sol est, quam circa solstitium æstivum nostro, tantusq; illis tunc calor, quantus nobis in Canicularibus plerumq; est) septimanas septem integras numerabant, eisq; completis offerebant postridiè Sabbathi septimi, qui dies quinquagesimus est, primitias ex messe Domino. Ità se invicem.

cem festum Pascha & Pentecostes, conjuncta
per intermedias septem hebdomades, excipie-
bant; & quemadmodum in *illo* recolenda fuit
memoria liberationis ex servitute Ægyptiâ; sic
& in *hoc* amplitudo bonorum, quæ ex promissâ
Patribus terrâ quotannis proveniebant, ad da-
ctorem Deum referenda: Utrobiq; verò in cœ-
lestia, quorum umbram Lex habebat, evocan-
dus per fidem animus fuit. Hodiè, postquam
umbræ diffugerunt, plenâ luce exortâ, tantò
etiam ferventiori cum Spiritu celebrari festa
Dei nostri fas est, quantò sunt, quæ propo-
nuntur commemoranda in iis, beneficia majo-
ra. Tradito in mortem filio Unigenito, agno-
Dei, qui tollit peccata mundi, & eodem ex
mortuis reducto, magno ovium pastore, eduxit
& nos Deus per sanguinem fœderis æterni, è fo-
veâ, cui non est aqua, siquidem est anxietas ibi
perpetua, absq; refrigerio & solatio ullo; e-
ductos verò misit in communionem & posses-
sionem omnium bonorum cœlestium, dato no-
bis & effuso in corda nostra Spiritu filii, hæredi-
tatis, quæ credentibus in cœlo reposita est,
arrhabone. Nihil fuerit nunc æquius, quam
ut recipiat à nobis D E U S benignissimus,
quod suum est; recipiat autem, non lege amplius

cogente, sed movente voluntatem, & ad amo-
rem summi boni flectente Spiritu spontaneo.
Fuit Pascha nostrum Christus, pro nobis im-
molatus: Hunc nostrum fecimus per fidem;
in hujus conspectu lætabamur nuper publicè
cum Ecclesiâ catholicâ, eâ redemptione, quâ e-
repti sumus è potestate tenebrarum, captivit-
ate omnium maximâ. Reliquum est, ut transla-
ti in regnum lucis, cum tripudio, ad quod hodi-
erni diei festivitas nos vocat, primitias futuro-
rum bonorum illi reddamus, à quo accepimus.
Etenim & factos nos esse primitias creaturarum
Dei per Spiritum Sanctum, & habere insimul i-
psius Spiritus primitias, divinæ scripturæ vox est.
Utrumq; effusissimo gaudio, & quæ Deo debe-
tur, infinitæ gratitudini materiam largissimam
præbet. Primitiæ frugum vi linguæ sanctæ, o-
ptimum quid sunt & præstantissimum ex frugi-
bus. Jam cum audis mortalis homo, & piè ex-
pendis, evertum te ad tantam in Christo emi-
nentiam, ut nomine primitiarum ex omnibus
creaturis, quæ cælo terrâq; continentur, te so-
lum dignetur Creator, quid mirum tantoperè,
si vel extrâ te ipsum rapiaris præ lætitiâ? Pulvis
es & cinis, quisquis es (hunc titulum enim jure
merito arrogare tibi potes cum patre creden-
tium)

tium) & istum cinerem ac pulverem, dum Jesu suo adhæret, dici ex nobilissimis Dei creaturis, optimam & præstantissimam, mens tota stupet, cum cogito. Si nosse cupis, quid excellentiæ hic subsit: intellige præstantissimum inter creaturas eum esse, qui quò longiùs recedit à factibus terrenis, hoc accedit ad Deum propiùs, cumq; ipsi conjunctissimus vivit per fidem Jesu Christi, tantum abest, ut ullâ re magis delectetur quam Dei præsentia, ut vel solam suam gloriam Deum statuat. Talis qui est; is sibi & gloriosos spiritus perpetuo ministrantes, & si quando patitur cum Christo, inanimè etiam creaturas inexplicabili modo doloris socias, & omnia in universum, sive nociva sint sive minùs, cooperantia sibi in bonum habet, ipsiq; inferorum catervæ, ut ut adversus eum nunquam non totis viribus experiantur, terrori existit. Nec hujus rei ratio deest: siquidem optimus inter ceaturas, est filius ex Deo genitus, divinæq; naturæ, per unionem cum Christo, particeps & confors; adeoq; non potest non esse formidabilis illis, qui Dei intuitu contremiscunt, nec non charus illis, qui creatoris sui imperio vel adnutum obsequuntur. Quinam verò sint filii Dei quæris? respondet scriptura *s. quotquot spiritu Dei*


*ducuntur, hi sunt filii Dei: & iterum: Si quis Spiritum
Christi non habet, non est ejus.* Excusseris ductum
Spiritus Christi, & migrare eum à te feceris, quod
tuum fiet facile, cū in peccatum consenseris; nihil
erit amplius quod gloriari possis de dignitate fi-
liorū Dei; nihil, quod periculo tam animæ quàm
corporis te eximat, vel, quò minùs creaturarum
Dei vilissimæ, quibus abjectiorem te constituisti,
capiti tuo insultare ausint, prohibeat; & quic-
quid rerum omnium ages, quantisper quidem
tibi vivis, nec vixerit in te Spiritus Domini, quam
speciosæ etiam videantur actiones tuæ, incassum
ages; intereà, quæ injuria omnium gravissima est,
quem glorificare debebas veluti decus & gloriam
tuam, contumeliâ afficis, teq; ipsum perdendo,
perdis simul, quas habere poteras sanctissimi spi-
ritus primitias, pacem gaudium, justiciam. Et is
profectò suum reposcet.

In nos ipsos quæso eamus, Cives Academici,
& quo loco æterni DEI Spiritus unumquemq;
nostrum esse velit, piè cogitemus. Non faci-
le vestrum, quotquot bonorum studiorum cau-
sâ hîc versamini, inveniri quemquam credo, qui
istam inæstimabilem, quam gratia Spiritus S.
omnibus offert, parvi dicat se facere eminenti-
am, & deprimi malit cum rebus abjectissimis,
quàm

quàm elevari præ nobilissimis DEI creaturis.
Scio tamen & hoc; spiritum nequitiae, si alii cui-
piam, nostro cum primis ordini quam maximè
struere insidias, ut dignitatem, quam nacti su-
mus per Spiritum veritatis, quæq; omnibus
mundi vanitatibus superiores nos constituit,
mentibus nostris excutiat. Agite ergò ductore
Spiritu Domini, qui sanctæ ipsius officinæ nomi-
na vestra dedistis, ne potiores apud vos partes in-
veniat, qui perditos vos cupit, quàm is, qui salvos,
& in Deo, quæ vera demum excellentia est, emi-
nentissimos. Servare vos oportet, quas habetis,
primitias spiritus Sancti, & dona quæ ipse in vos
pro Ecclesiarum & Rerum publicarum bono,
contulit, suscitare piâ sedulitate; non vitii nec
concupiscentiis carnalibus, cum irreparabili ja-
cturâ corrumpere. *Nulla in discendo mora est*, in-
quit Beda, *ubi spiritus Sanctus doctor adest*. Ca-
vete igitur, ne dum vos à discendis iis, quæ salu-
taria sunt, damnabiles moræ retraxerint, docto-
rem spiritum Sanctum abesse à vobis (quod Dei
misericordia prohibeat) testemini. Dei si esse
vultis, Christi sitis necessum est. Sed Christi eri-
tis, cum is, qui in ipso capite vestro infinitâ cùm
plenitudine quievit, spiritus Domini, spiritus sa-
pientiæ & discretionis, spiritus consilii & forti-
tudi-

rudinis, spiritus cognitionis, & quod cæterorum
principium est, timoris seu reverentiæ Domini;
idem & in vobis gratiôsè præsens habitaverit.
Deum qui non reverentur in dictis, factis, cogita-
tis, frustra est, quod illius auxilium sibi promit-
tunt, qui ubicunq; docet, Dei reverentiam do-
cet. Hoc agamus quisq; reddamus nos ipsos, & sic
suas datori nostro primitias, corde, linguâ, ope-
re. Ità fiet, ut & Pentecosten sacram, & omnem
deinceps vitam feliciter transigamus, beatam
in cælis, quæ nunquam cessabit, messem
expectantes.





terrâ, sivè quæ in cœlis sunt
lestes Spiritus, unum nunc
quotquot in terris agunt, et
quem & unus ducit Impera
omnibus. In hoc verò qua
longè lateq; patens piorum
quod explicari satis nequit.
DEI verbis gratiosissimis ad
tæ societatis consideratione
gratitudinē: *Accessitis*, inquit
Et civitatem Dei vivi, *H*
innumerabilium Angelorum
primogenitorum, qui conscrip-
cem universorum Deum, Et
etorum, Et ad Novi Testame
Videndum nobis est, ne le
magni facit Spiritus Dei, tà
pendam nostræ naturæ in
nientiam; Hæc ubi spreta fu
nullus ad eam in omnem
gressus patebit.

Vobis ista, *Cives Acade*
ponuntur, scripta non mo
propensi, qui vestræ omniu
Vos ipsi & qui ordinis vestr
cesseritis Diabolo & Angel
ciem Academiarum nullas

ciliati cœ
ous sanctis,
constituūt,
tenens in
ta & quàm
tia, id est
ar à Spiritu
n tam bea
tam DEO
montem Sion
calestem Et
concionem
lis, Et Judi
orum perfe
rem Jesum.
nus, quam
am & stu
evatæ emi
ore gratiæ,
ritatem re

primis pro
ed affectus
upidus est.
lmam con
iti in perni
as molium
tur,

